

GVELPHO DVX BOIARIAE.



**G**uelpho filius fuit Azonis & Chunigundæ  
 ultimi ducis Bauariæ filia. Cum autem ma-  
 scula proles nulla alia superesset, Guelpho ille ma-  
 tre & auia adnitente ab Heinrico quarto Impera-  
 tore hæres auunculi, atque materni aui instituitur.  
 Hoc modo dux Boiariæ & Charnorum effectus  
 est, anno ab orbe redempto 1071. Cum autem post  
 sex annos grauissimæ lites inter Hildeprandū pon-  
 tificem & Heinricum 4. Cæsarem excitarentur, ip-  
 se pōtificis partem complexus est. Habebat enim  
 in Italia ex paterna hereditate Tusciam & adiacen-  
 tes regiones, præterea Boiaria Italiæ erat proxima:  
 insuper ab antiquo Vuelphonū familia hæctenus

Romanam Ecclesiam pro sua uirili defenderat. Hinc factum puto, ut factio  
 pontificis Guelphi, Cæsaris uerò Gibellini passim in Italia dicerentur.